THESIS

1774

Hartog, Joh. Friedr. Christian

Halle a/d.S.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

RHEVMATISMO FEBREQVE RHEVMATICA

QVAM

AVCTORITATE

ET CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO

POTENTISSIMO BORVSSOR. REGI A CONSILIIS AVLICIS,

MEDICINAE, ANATOMIAE ET CHIRVRGIAE PROFESSORE PVBL. ORDINAR.

NEC NON FACVLT. MED. SENIORE ETC.

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS

ATQVE PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS

AD D. XII. NOVEMBR. CIƆIƆCCLXXIV.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS CHRISTIANVS HARTOG

MINDA-GVESTPHALVS.

HALAE AD SALAM

AERE HENDELIANO.

§. I.

Rheumatiſmi nomine, ſicuti catarrhi voce, fluxionem quandam deſignari, inter omnes conſtat, atque teſtimoniis non indiget. *Fluxionis* vero ſeu *defluxionis* aut *deſtillationis* verbum ita medici vſurpare ſolent, vt eo incommoda quaedam, e ſpontanea humorum in partem quandam depoſitione oriunda, indicent. Sic catarrhales affectus ad defluxiones referuntur; ſic quoque leuior oculorum inflammatio fluxionibus ſaepe, vel a plebe, annumeratur. Quod dixerim, hanc depoſitionem *ſpontaneam* eſſe debere: huius quidem ratio facile intelligitur. Nam, quae violentias externas ſequuntur, humorum in laeſis partibus accumulationes, numquam a medicis fluxiones vocantur. *Humorum* vero in vniuerſum memini, cum ſanguineae non minus,

 quam

quam ſeroſae fluxiones obueniant. Etſi denique pleraeque fluxiones in partibus externis occurrunt: attamen ipſis internae quoque partes patent, exemplo catarrhalium affectionum, quae pulmones occupant.

§. II.

Quamquam vero rheumatiſmi vox cuicumque fluxioni accommodari poteſt: proprie tamen *rheumatiſmus* fluxionem dolorificam, in muſculis cuteque obſeruabilem, ſignificat. Et *fluxionis* quidem ideo praecipue memini, quod non ſolum rheumatiſmus veram defluxionem ſiſtit, ſed iſte etiam dolor, qui a perpeſſis conuulſionibus tetanoque ſupereſt, numquam rheumatiſmi nomine inſignitur. *Doloris* mentionem inieci, vt rheumatiſmus a caeteris defluxionibus facile, propoſito hoc genere, diſtinguatur; neque vllum puto fore, qui neget, rheumatiſmum ad dolores pertinere. Quod *muſculi* in rheumatiſmo patiantur dolorem, vel exinde intelligitur, quod vel a leui motu dolor exacerbatur. *Cutim* quoque affici ſumma eius in rheumatiſmo ſenſilitas, quae ſubinde, idque etiam abſque tumore, obuenit, ſuadere videtur. Equidem rheumatica materia interdum partes interiores occupat; at vero non exiſtimo huiuſcemodi affectus proprie rheumatiſmis annumerari poſſe aut debere, cum ii quoque affectus, qui arthritidem retropulſam ſequuntur, ab arthritide ipſa ſegregentur.

§. III.

Euicta hac definitione, aliorum ſententiam paucis expendamus. Sunt, qui rheumatiſmum ſpaſmorum catalogo inſerunt.

Etſi

Etsi autem negari non potest, quod, si rheumatismus adsit, spasmi oboriantur et oboriri debeant, quod scilicet dolor, in parte musculari enatus, vim validioris irritamenti exserit, quo partes fibraeque musculares ad fortiores inuitasque contractiones sollicitantur, a quo spasmi pendent: attamen magis opportunum erit, vt rheumatismum ad dolores referamus. Nam, vt nunc de eo nil dicam, quod, cum dolor sensibus magis, quam spasmus, in rheumatismo pateat, hic commodius etiam doloribus, ac quidem spasmis annumerari debeat, spasmus ne doloris quidem praesentiam absolute inuoluit. Saepius enim dirissimas conuulsiones absque vllo, qui eas comitatur, dolore conspicimus. Manifestum igitur est, quod rheumatismus a simplici spasmo valdopere differat. Praeter id, cum rheumatismus cuti quoque infensus sit, cui nullae fibrae musculares, paucis exceptis in locis, in homine insunt, patet, rheumatismum potius neruorum, ad musculos cutimque tendentium, quam fibrarum muscularium, quibus solus spasmus inhaeret, affectionem esse. Et in vniuersum mirum videri potest, quod permulti medici, si quando dolores obortos esse intelligunt, tantum de spasmis, e quibus dolores oriantur, cogitent, cum tamen dolor et absque spasmo enasci queat, et etiam distinctum a ceteris aut morborum aut symptomatum genus constituat.

§. IV.

Quibusdam medicis rheumatismum morbis inflammatoriis accensere placuit. Egregius enim SYDENHAMVS (Oper. omn. pag. m. 171.) *cum vtraque*, inquit, *haec morbi* (rheumatismi) *species ab inflammatione videatur oriri, quod tum iam dicta ar-*

 guunt

guunt phaenomena, *tum praesertim sanguinis venae sectione educti color*, *vtpote*, *qui pleuriticorum sanguini tam est similis*, *quam ouum ouo*, *neque quisquam reperiatur*, *qui hos inflammatione laborare*, *vel quidem dubitauerit* – – BOERHAAVIVS in eadem sententia versatus est. Nam *Aphorism. de cognosc. et curand. morb.* Aphorism. 1493. *causa*, inquit, *proxima eius videtur inflammatio in arteriis lymphaticis membranarum*, *quae ad ligamenta iuncturarum*, *non tam saeua*, *vt in suppurationem eat.* Illustr. b. m. *van* SWIETEN confirmare annititur praeceptoris doctrinam his (Commentar. in Aph. BOERHAAVII, T. V. pag. 660.): *adoritur enim praecipue tales*, *qui ad hos morbos* (inflammatorios) *dispositi sunt*, *et temperiem sanguinolentam*, *labe acri infectam*, *habent*, *lautoque victu vtuntur*, *imprimis tales*, *in quibus diathesis inflammatoria*, *lentior cruore pleuritico*, *se manifestat*; *sed et frequentissima inflammationum causa*, *calefacto corpori subito admissum frigus*, *toties rheumatismum antecedit.* Quod vero BOERHAAVIVS edixit, hanc inflammationis speciem ea mitiorem esse, quae in suppurationem transit, id ita *Illustr. v.* SWIETEN temperat, vt raro inde suppurationem oriri contendat.

§. V.

Sunt tamen non pauca, quae huic sententiae (§. antec.) aduersantur. Equidem verum est, quod rheumatismo forte plerumque inflammatio accedat, propriam autem rheumatismi essentiam in inflammatione sitam esse, valdopere dubito. Quod enim asserit SYDENHAMVS sanguinem, e vena secta emissum, pleuriticorum sanguini tam similem esse, quam ouum ouo, id

de quadam rheumatismi specie verissimum est, in vniuersum autem veritati repugnat. Poterit hoc iis confirmari, quod FRIDERIC. HOFMANNVS, celeberrimus medicus, de rheumatismo notat. *Sanguis*, inquit, *in diuersi generis doloribus e vena emissus, et ratione coloris et consistentiae multum differt. Nam quandoque in aquam calidam immissus, multo tenaci muco ex fibris varie intertextis constante abundans conspicitur, interdum serum, quod supernatat, mox instar glutinis vel corii concrescit, non secus ac in peripneumonia grauiter affectis euenit, alio tempore serum valde tenue est, et sanguis coccinei coloris, quod fit saepissime in rheumatismo et arthritide vaga, indicio non incerto sal ad alcalinam volatilem naturam vergens ei admixtum esse.* Comprobat hoc assertum eo testimonio, quod CAROL. PISO (in libr. *de morb. ex colluuie seros. oriund.* Sect. V. cap. III. pag. 433.) affert. Is enim *in doloribus externi habitus massam sanguinis tanta serosa colluuie scaturisse obseruauit, vt seposita in pelui vigesima vix pars in fundo subsederit, quae sanguinis colorem et consistentiam retinuit, reliquo liquore supernatante penitus aqueo, sed obducto pellicula viscida et alba.* Adiicit quoque, BALLONIVM in libro de rheumatismo, *aliquoties sanguinem, quem magna copia e brachio detraxerit, impurum et in putridum serum resolutum vidisse.* Denique haec adiungit: *Ego vero non semel, sed multoties annotaui, quod in principio horum dolorum sanguis bonae consistentiae, longiori progressu, vel quando malum altius radices egit, admodum serosus, corruptus et pellicula tenaci imbutus fuerit emissus. Nam sanguis abundans primam quidem causam et originem hisce doloribus praebet, sed sub longiori morbi decursu, motu intestino calido per continuam*

agi-

agitationem in vitiosum serum conuertitum, qua de causa ipse modo laudatus Car. PISO, *eruditissimus scriptor, omnes arthritidis et rheumatismi species inter morbos a colluuie serosa ortas retulit, id quod etiam vrinae copiosae tenues, neque minus limosae et turbidae, atque copiosi foetidi sudores, qui hisce doloribus adiungi solent, commonstrare videntur.* Euidenter sane ex his patet, sanguinem eorum, quos torquet rheumatismus, subinde istis signis carere, quae sanguinem inflammatum prodere reputantur. Praeter id satis nunc innotuit, phlogisticum ita dictum sanguinem, inflammationis praesentiam non satis certo designare, cum toties absque inflammatione, in debilibus et cacochymicis subiectis obseruetur. Denique sanguis phlogisticus rheumatismi aeque *effectus*, quam *causa* esse posset. Quod igitur hoc argumentum non satis certum sit, patet.

§. VI.

Alterum, quo vtitur SYDENHAMVS, argumentum, a phaenomenis rheumatismi repetit (§. IV.). Iam igitur videamus, num inde inflammatoria rheumatismi indoles accurate euinci queat? Ipsa phaenomena rheumatismi recensens SYDENHAMVS (l. c. pag. 170.), haec affert: *A rigore atque horrore orditur tragoediam, quos statim excipiunt calor, inquietudo, sitis, et reliqua illa infelix symptomatum caterua, quibus stipantur febres. Elapso die vno alteroue (est et vbi citius) aeger atroci dolore, nunc in hoc, nunc in illo artu infestatur, in carpis, humeris, genubus praesertim, qui locum subinde mutans, vicissim illos occupat, rubore quodam et tumore in parte, quam postremum affecit, adhuc residuis. Primis aliquot diebus, febris et sympto-*

ſymptomata iam memorata quandoque coincidunt; febris autem ſenſim euaneſcit, manente dolore, quin et nonnumquam immanius ſaeuiente, materia ſcilicet febrili in artus translata – – Nunc, ſi a rubore et tumore partium diſceſſeris, nullum ego quidem ſymptoma inuenio, e quo inflammationis praeſentia argui poſſet. Atqui datur rheumatiſmus, qui immaniter aegrum excruciat, etſi nulla rubedo, nullus tumor comparent. Poſſumusne igitur, ex phaenomenis rheumatiſmi inflammationis praeſentiam accurate demonſtrare? Praeterea inflammatio accedens effectus potius rheumaticae materiae, quam haec ipſa erit, quod dein clarius oſtendetur.

§. VII.

Quae *Perill. b. m. van* SWIETEN attigit argumenta (§. IV.), proxime ad ea, quae SYDENHAMVS propoſuit, accedunt, fereque eodem modo refelli poſſunt. Haud nego, quod ſubiecta in inflammationes prona, frequentioribus etiam rheumatismorum inſultibus pateant: verum enim vero ea, quorum ſucci corrupti ſunt, non accedente etiam cauſa inflammante, non minus iisdem ſubiecta ſunt, eorum exemplo, quae ſcorbutica humorum labe infecta ſunt. Deinde cauſae inflammationum *remotae*, morbum quendam accendere poſſunt, cuius vera eſſentia haudquaquam in inflammatione conſiſtat. Nam vel affectus catarrhales a cauſſis inflammationum remotis; v. g. refrigerio poſt exaeſtuationem, prouenire poſſunt; vt iam alia exempla omittam.

§. VIII.

Hactenus de argumentis (§. IV.) ita locutus ſum, vt pateat, infirma ea eſſe atque incerta. Liceat his ea adiungere, quae contrarium ſuadent. Et primo quidem ipſe SYDENHAMVS, dum de rheumatiſmo ſcorbutico diſſerit (l. c. p. 175. 176.), venae ſectionem, eo praeſente, damnat teſtaturque, eam, *quantumlibet repetitam, vt et cathartica, diaetam lacteam, pulueres teſtaceos &c. ne hilum profeciſſe.* Sane ſi omnis rheumatiſmus inflammatio eſſet partium, quas occupat, numquam non venaeſectio conduceret, quod etiam egregius SYDENHAMVS alio loco (pag. 171.) diſerte monet. Deinde HVXHAMVS (Oper. phyſico-medic. Tom. I. pag. 364.) *caeterum*, inquit, *hic annotabo obiter, quod, dum ab acri et ſeroſa colluuie pendeat rheumatiſmus, multo magis nocet, quam prodeſt, larga ſanguinis detractio; id ipſum notante* SYDENHAMO (Epiſt. I. reſponſoria ad DOCT. BRADY): *in hoc etenim caſu certe, quae blande ſudores mouent, quae acres edulcorant humores, eosque expurgant commode, interpoſito ſubinde papauereo doloris lenimine, longe feliciores edunt effectus.* Et haec dein medicamina recenſet. Iterum igitur curatio rheumatiſmi oſtendit, ſubinde ſtatum inflammatorium abeſſe. – Quibus ſane accedit, quod definitio rheumatiſmi, in ſuperioribus a nobis propoſita, vſui loquendi, inter medicos recepto, ſatis reſpondeat. Atqui dolorifica fluxio commode, vel abſque inflammatione, cogitari poteſt. Quidni igitur rheumatiſmus, nulla inflammatione, quae eius cauſa eſſet, ſtipatus, obtinere poſſet? – Ipſa denique infrequentia ſuppurationis haud inepte oſtendit, propriam rheumatiſmi naturam longe aliam, quam inflammatoriam, eſſe.

§. IX.

Sunt denique, qui rheumatiſmum ad arthritidem referunt. Nam et veteres medici videntur ſub nomine arthritidis rheumatiſmum deſcripſiſſe (*Perill. b. m. van* SWIETEN l. c. pag. 640.), et ipſe, quem modo laudaui Celeberrimus *van* SWIETEN arthritidi eum accenſet, *dum plures*, inquit, *certe vidi auctores, qui de rheumatiſmo ſcripſerunt; ſed mihi viſa fuit ſemper aliqua manere difficultas in diſtinctione adaequata inter rheumatiſmum et arthritidem. An ideo forte Celeberrimus* BOERHAAVIVS *maluit dicere, quod rheumatiſmus, licet frequentiſſimus, ſit morbus agnatus arthritidi, podagrae et ſcorbuto, quam aliam definitionem dare, quae illam ab his morbis accurate diſtingueret? Ipſe rheumatiſmum ſaeuum paſſus fuerat, et ſub hoc nomine coram diſcipulis quotannis morbum hunc deſcribebat. Tamen in oratione funebri – leguntur ſequentia „arthritidis exquiſitiſſimae tormentis diſcruciatus, tandem iacuit reſolutus, vt vix amplius ſenſus vllus, nullus vtique motus, inferioribus artubus ſupereſſet.„* Neque *Illuſtr. b. m.* VOGELIVS, quem praeceptorem habuiſſe, honori mihi duco, ab iſta ſententia omnino abeſt. Saltim (*Praelect. de cognoſc. et curand. praecipuis corp. hum. affect.* pag. 367. §. 465.) haec edixit: *rheumatiſmum et arthritidem merito in therapia coniungimus, quamquam alias disiungi conſueuerunt. Eſt enim vtriusque morbi non ſolum intuitu cauſarum ortusque ſui vna eademque indoles, ſed frequens etiam vtriusque combinatio in eodem ſubiecto obſeruatur, perinde ac rheumatiſmi in arthritidem conuerſio; quin iiſdem fere auxiliis vterque morbus oppugnatur.* Eandem ſententiam procul dubio multo plures medici amplexi ſunt, quos vero adducere ſuperua-

caneum esset. Interea merito differentia quaedam inter vtrumque morbum statui potest. SYDENHAMVS quidem in vniuersum modo dixit: *morbus hic quoties a febre seiungitur, arthritis saepe audit, quamuis essentialiter ab illa distinguatur, prout cuiuis facile constabit, cui vterque morbus intimius fuerit perspectus: vnde forsan petenda est ratio, cur tam sicco illum pede transiuerint scriptores medici: nisi forte arbitremur, hanc morbi speciem ad reliquam malorum Iliada de nouo accessisse;* sed HOFFMANNVS clarius id discrimen proposuit eo loco, cuius etiam *Perill. van* SWIETEN (l. c. pag. 461.) meminit. Eandemque sententiam profert l. c. pag. 427. *In rheumatismo,* inquit, *musculi cum eorum membrana communi et tendinibus, vbi ossibus inseruntur, graui dolore et spasmo hinc inde in artubus aliisque corporis regionibus afficiuntur; in arthritide vero ipsa ligamenta tendinoso – neruea, quibus inuicem ossa coniunguntur et combinantur, quatenus illa periosteo cohaerent, vehementius affliguntur. – Deinceps quoque in eo differentia arthritidis verae et rheumatismi constituenda venit, quod illa saepius recurrat, homines misere exerceat, atque longiori tempore insistat, difficilioris quoque sit sanationis; rheumatismus vero quandoque semel vel bis tantum per omnem aetatem adoriatur, neque tam diu inhaerescat, facilius transeat et sanationem promptiorem admittat. Variat quoque saepe ipse dolor. Nam in rheumatismo magis est tensiuus, pressorius, grauatiuus, cum frigore iunctus, sine conspicuo tumore ac rubore, in arthritide vero lancinatorius, diuulsorius, pungitiuus et quasi rupturam minans cum insigni tumore et rubore percipitur.* Nec omne discrimen negat Illustr. b. m. VOGELIVS (l. c. §. 467. et §. 469.). In vniuersum autem hoc

vi-

videtur diſcrimen inter vtrumque morbum intercedere. *Arthritidis* propria ſedes loca articularia ſunt, etſi, dolore latius diffuſo, rheumatici ipſi dolores accedere poſſunt, rheumatismi vero propriam ſedem conſtituunt loca extraarticularia, etſi iterum fieri poteſt ſaepiusque fit, vt propter doloris extenſionem, loca ipſa articularia ſimul afficiantur mixtusque exinde quaſi effectus redundet.

§. X.

De ſede quoque rheumatismi, prout iam e dictis §§. anteced. intelligitur, diſputatur. Et *Illuſtr. b. m.* VOGELIVS (l. c. §. 466. pag. 367.) permulta, quibus inſideat rheumatismus, loca enumerat; dum affectio rheumatica *varias corporis partes*, inquit, *tum internas, tum maxime externas, carnoſas, non exceptis venis cutaneis, glandulis, et perioſteo, et ipſis oſſibus, cum mouendi quadam impotentia, vel etiam rigore infeſtat.* Sed de rheumatismis internarum partium iam dictum eſt (§. II.). Cum enim materia rheumatica in vniuerſum doloribus inferendis par ſit, ſi quando eueniat, vt in loco quodam fixa haereat: aut oberrans huc et illuc, aut retropulſa, internas corporis partes non minus, quam externas, dolentes reddere inque iisdem affectionem, rheumatismo vero ſeu proprie ita dicto ſimilem procreare poteſt. At vero iſtiusmodi affectiones vel ob id, quod internas partes occupant, proprie rheumatismorum nomine venire nequeunt, cum etiam numquam de arthritide ſtomachi, veſicae, inteſtinorum &c. loquantur medici, etſi materia arthritica, aut vaga, aut retropulſa, dolores in praedictis partibus excitare valet. – Reliquas quoque, ab *Illuſtr. b. m.* VOGELIO indicatas

partes, in rheumatismo affici, negari nequit, vt tamen ſimul pateat, propriam ſuetamque rheumatismi ſedem muſculos eſſe cutimque. Sic odontalgiae ſedem dentes conſtituunt, quamquam dolor aliaque incommoda ad vsque aures et oculos extendi poſſunt.

§. XI.

Sequitur, vt de ſymptomatibus rheumatismi diſſeramus. Et haec tum ad rheumatismum, tum ad febrem rheumaticam pertinent. Rheumatismus ita incedit: dolor, plus minus acutus, vel omnem peripheriae ambitum, vel, quod plerumque fieri ſolet, vnam tantum alteramue partem externam inuadit. Confer. DONALD MONRO's *Beſchreibung der Krankheit.* &c. Seit. 116. 117. qui rheumatismum, a ſe obſeruatum, ſic deſcribit: *Er fieng gemeiniglich an entweder mit einem hitzigen Fieber, und Schmerzen am ganzen Leibe, oder mit Schmerzen an beſondern Theilen, als in den Schultern, Beinen, Armen, Knien, und zuweilen in der Seite, wobey ein gewiſſer Grad eines Fiebers war – Die erſte war die gewœhnlichſte Geſtalt, die er annahm –* Quodſi contingit, vt vni tantum parti dolor inhaereat, pro aetatis ſubinde ratione differunt. Nam *in iunioribus affectus rheumatici magis caput, pectus, ſcapulas, humeros, manus et dorſum petunt; in viris et ſenioribus dorſum et coxas cum femoribus; ſub reuerſionibus autem, ad interiora tendentibus, in illis iterum magis caput, fauces et thoracem, in his hypochondria, inteſtina, renes, et veſicam quaerunt* (Illuſtr. b. m. VOGELIVS l. c. §. 467. pag. 369.). Prout vero dolor rheumaticus plus minus magnus, continuus et acutus eſt; ita etiam

mox

mox arctioribus limitibus circumſcribitur, mox latius diffunditur. Memorat STOERCK (*Ann. med.* II. pag. 120.) *aliquoties ex nimia dolorum exacerbatione tendinum ſubſultus et membrorum conuulſiones ortas eſſe;* ſtatimque adiicit (l. c. pag. 121.) haec: *In magna dolorum exacerbatione, vrina plerumque prodiit tenuis, pallida, quandoque ſtrangurioſa, decreſcente autem dolore, vrina primo prodiens erat rufa, ſecunda vero turbida et mox foetuit, et ſedimentum poſuit furfuraceum, ſubalbidum.* Quod vero dolor iſte late diſpergi queat, id, vt multis exemplis aliis innotuit, eo etiam confirmatur, quod *Perilluſtr. van* SWIETEN enarrat (l. c. pag. 653.). *Puella XXI. annorum, ſana ſed ſanguinei temperamenti autumnali tempore incepit conqueri de dolore circa criſtam oſſis ilei dextri: ſequenti die flectens ſubito corpus, vt aliquid humo tolleret, dolor ille vno momento augebatur immaniter, et mox ſe diſperſit per totum latus dextrum, crus ac brachium dextrum, immo et per latus dextrum capitis; a leuiſſimo corporis motu dolor augebatur.* Et huic ſimilia exempla plura occurrunt. Solet autem iſte dolor a motu, ab attactu, et plerumque circa veſperam temporeque nocturno exacerbari, vtplurimum vero horis matutinis mitius adfligere. Saepius, praeſertim in principio, vagus, modo haec, modo illa loca occupat, demumque in vno alteroue loco figitur. Aliquando ſubito acerrimi ſtatim dolores oboriuntur (*Perill. van* SWIETEN l. m c.), ſubinde vero poſt varia alia febrilia incommoda lentius paullo dolorifica affectio increſcit. Huic dolori plerumque, ocyus ſerius, tumor mox rubicundus, ad inflammationem accedens, mox albicans, plusque minusue renitens, interdumque vniuerſalis, iungitur. Et de rubicundo tumore nemo dubi-

bitat, idemque omnibus notus eſt. Tumoris albi meminit STOERCK (l. c. pag. 114.). *Secundo*, inquit, *aut quandoque primo ſtatim die partes dolentes tumore albo inflabantur, et inde omnia adeo erant tenſa, vt aegri nullum membrum absque ſummo dolore potuerint mouere* – Idemque vniuerſalem tumorem commemorat (l. c. pag. 116.). *Multi aegri tumore rheumatico vniuerſali afficiebantur; etenim tertio vel quarto morbi die cutis totius corporis coepit tendi, albo tumore eleuari, et acute dolere, ipſa quoque facies tumore difformis facta eſt.* Et tumor, quo plus renititur, eo acerbius dolores aegrum excruciant, molliores vero tumores et flaccidi leuamen adferunt (IDEM l. m. c. p. 114. 115.). Nonnumquam vero nullus tumor dolorem comitatur, etſi dolor ita ſaeuus eſt, vt aegri ne leuiſſimum attactum ferant. *Plaga dolore affecta quandoque intumuit, quandoque vero nullus tumor aduertebatur, omnis autem attactus dolorem auxit* (STOERCK l. c. p. 113.). Et alio loco (l. c. pag. 122.): *plures aegri valida febre rheumatica aut arthritica decubuerunt, et nullus tamen tumor circa articulos, aut circa alias partes obſeruatus eſt, licet dolores fuerint magni et fixi.* Interdum materia rheumatica aut retinetur in interioribus, aut diſparente dolore ac tumore, retrocedit. Quo in caſu peſſima ſymptomata oboriuntur: inflammationes, validi ſpasmi ac conuulſiones, deliria, ſuffocationes, ſopores, apoplexiae &c. protinus euaneſcentia, ſi quando materia cito ad ambitum corporis inuitatur. Obſeruauit quoque STOERCK (l. c. p. 124. 125.) *quandoque dolorem rheumaticum internam oſſium ſubſtantiam occupaſſe, et tunc aegros externum attactum, quamuis ſatis rudem, ſine magna moleſtia tuliſſe.* Quod ſupereſt, quicunque atrociſſimorum

do-

dolorum effectus accedere ad rheumatismum possunt, vigiliae, anxietates &c.

§. XII.

Febris rheumatica saepius simul praesto est, quae continua est, quotidie accedens, circa vesperam exacerbationes formans. Atque haec dolorem rheumaticum antecedit, qui eam ocyus serius subsequitur. *Elapso die vno alteroue (est et vbi citius)*, inquit SYDENHAMVS (l. c. pag. 170.) *aeger atroci dolore – infestatur.* STOERCK (l. c. pag. 112.), descripto febris rheumaticae initio, adiicit: *post aliquot horas accessit dolor vagus, qui eodem adhuc die, vel die sequenti sedem fixit* – simile quid innuit ibid. pag. 114. *Multos habui aegros, quibus praegresso horrore orta est ingens febris, sitis magna et dolor acutissimus articulos et artus inuasit.* Febris ceterum ista suetis symptomatibus stipata incedit: frigore plus minus magno, calore, siti, inquietudine, agrypnia, obstructione aluina, pulsu celeri, frequenti, subinde pleno et duro &c. Vrina varia est. STOERCK memorat vrinam crassam, iumentosam (l. c. pag. 112.), postea *quamdiu*, inquit, *durauit febris, tamdiu prodiit vrina crassa, turbida, foetens, et prodeundo ardorem excitauit;* denique ostendit, qua ratione doloris aut exacerbatio, aut remissio vrinam mutauerit (l. c. p. 121. cf. §. ant.). In vniuersum autem, pro ratione imprimis caloris, plus minus tincta esse cernitur. Febris deinde rheumatica mox leuior, mox grauior obseruatur (STOERCK ll. cc.). Quamquam vero gradus febris subinde doloris magnitudini respondet (*Perillustr. van* SWIETEN l. c. pag. 653.): attamen accidit, vt, in progressu morbi potissimum, con-

trarium obſeruetur. *Subinde*, inquit, STOERCK (l. c. p. 122.) *horum vſu, licet febris facta fuerit mitiſſima, dolores tamen non remiſerunt* – Et pag. 128. narrat haec: *Alius aeger validiſſimo dolore rheumatico per vniuerſum corpus torquebatur, febrem autem habuit valde mitem, et ſubinde per tres quatuorue horas ab omni dolore liber fuit.* Quin immo dolor ſublata nonnumquam febre, atrocior eſt. *Primis* enim *aliquot diebus febris et ſymptomata iam memorata quandoque coincidunt; febris autem ſenſim euaneſcit, manente dolore, quin et nonnumquam immanius ſaeuiente, materia ſcilicet febrili in artus translata; quod ſatis arguit febris ipſa ſaepius recrudeſcens, ob materiam morbificam ab intempeſtiuo externorum vſu repercuſſam* (SYDENHAM l. m. c.). Denique id quoque notandum eſt, quod febris rheumatica nonnumquam ad intermittentem propius accedere videatur (*van* SWIETEN l. c. pag. 656.).

§. XIII.

Febris rheumatica mox breuis, mox acuti morbi indolem prae ſe fert. Memorat STOERCK (l. c. pag. 114.) leuiorem febrem rheumaticam intra duos tresue dies deferbuiſſe. Subinde et diutius durat, et grauius affligit. Attamen in ſe ſpectata vtilis eſt, dum expellendae materiae rheumaticae inſeruit. Soluitur in morem aliarum febrium, quae continuae acutae ſunt, imprimisque ſudoribus, qui interdum foetent. Et ipſe dolor rheumaticus criſin metaſtaticam repraeſentat, qua febris diminuitur tolliturue; e quo etiam euenit, vt febris, manente quin ingraueſcente dolore, depelli poſſit. Ceterum facile patet, quod febris rheumatica, quae a retropulſa materia rheumatica obori-

ritur, ea malignior ſit, quae in principio morbi, in ſalutem aegri ſubnaſcitur.

§. XIV.

Non perinde facile dolor rheumaticus decedit. Nam SYDENHAMVS (l. c.) *licet rariſſime*, inquit, *hominem e medio tollat, febre ſemel depulſa, tamen et vehementia doloris et diuturnitas eum prorſus contemni non ſinunt. Etenim ſi minus perite tractetur, non ad menſes tantum, ſed ad annos etiam aliquot, immo per omnem adeo vitam miſerum haud infrequenter diſcruciat; quamuis in hoc caſu, non eodem ſemper vigore, ſed paroxysmis quibuſdam periodice repetitis, ad inſtar arthritidis, ſubinde laceſſit.* Et STOERCK (l. c. pag. 115.) *raro*, inquit, *ante quartum, quintum, ſextum, ſeptimum, aut quandoque octauum diem aegri leuamen perceperunt, dein vero remiſit dolor et tenſio*; poſtea (l. c. pag. 116.) addit: *numquam ante vigeſimum diem omnis dolor abiit, et is quandoque vltra trigeſimum aut quadrageſimum diem durauit.* Neque periculo vacant affectus rheumatici, cum STOERCK obſeruauerit, eos vel mortem intuliſſe; oſtendit ſimul accurate, quid in demortuis, inſtituta ſectione, detectum ſit. In aliis quidem haud necant, at eosdem in vitae diſcrimen coniiciunt. Quin immo dolor ipſe, ſi diu perpeti debet, vires demum conſumit viamque ad lentam et hecticam febrem aut tabem corporis ſternit; quod obſeruata corroborant.

§. XV.

Collectiones materiae rheumaticae, quae in partibus contingunt, eas fere ſolutiones, quae inflammationes, recipiunt.

Etsi enim raro in suppurationem transeant: nonnumquam tamen id accidere, obseruationes docuere. Postquam STOERCK (l. c. pag. 124.) historiam aegri, quem lethalis rheumatismus detinuerat, descripsit: haec adiicit: *Sectione anatomica binae vltimae lumborum vertebrae ea parte, qua medullam spinalem ambiunt, inuentae sunt penitus putridae, et in nigrum, foetidum ichorem solutae.* Quae videntur gangraenam et sphacelum significare. Rigor deinde, qui subinde neglectum maleue tractatum rheumatismum excipit, scirrhi quasi speciem prae se fert. De isto rigore disserit SYDENHAMVS (l. c. pag. 170.). *Immo vero potest fieri, vt vbi diu multumque vexauerint dicti dolores, tandem sponte desistant, atque interim aeger omni membrorum motu ad mortem vsque priuetur, digitorum articulis quasi inuersis, et protuberantiis, vt in arthritide, nodosis in interna magis quam externa digitorum parte se prodentibus; stomacho nihilominus valeat et caetera sanus vitam toleret.* Quod denique rheumatismus, instar inflammationum, resolui queat, de eo, cum manifestum sit saepiusque accidat, dubitari non potest.

§. XVI.

Dolor autem rheumaticus benigne soluitur, vt alii, euacuationibus auctis et metastasi. Imprimis hic quoque sudores critici salutares obseruati sunt: sed tumores quoque, exanthemata, vrina hypostatica, similesque euacuationes haud contemnendam opem, in leuando dolore, attulerunt.

§. XVII.

Sequitur, vt de caufis rheumatifmi febrisque rheumaticae differamus. Atque, vt a caufis rheumatismi ordiar, cum is dolorem modo partium mufcularium cutisque a fluxione quadam repetendum, fibi vindicet, facile intelligitur, multiplices ipfius caufas affignari poffe. At vero videtur duplex caufa fufficere. Et primo quidem *diathefis inflammatoria* eundem producere valet; quod permulta obferuata, ipfaque ea, quae in fuperioribus allata funt, clariffime demonftrant. Altera caufa *feri acrimonia* eft, cum toties a refrigerio rheumatismus oriatur facileque morbis, ex acredine humorum oriundis, fefe adiungat; foetentes quoque fubinde fudores hoc declarant, pluraque alia, quae breuitatis caufa omitto. Qua igitur ratione rheumatismus nafcitur? Hac, vt ego faltim arbitror. Interdum diathefis phlogiftica ad vafa neruorum, quae ad mufculos cutimque tendunt, congeritur, premendoque et irritando dolores creat; alias vero irritans fua acredine ferum, in cellulari neruorum collectum, dolorum exiftit caufa. Quod de diathefi inflammatoria hic enuntiaui, iis, quae in fuperioribus edixi, non repugnat. Nam, (vt de eo nil dicam, quod in fuperioribus modo affirmauerim, non omnem rheumatismum ab inflammatione oriri) *colligi* diathefis inflammatoria poteft, etfi inflammationem nondum producat. Materia rheumatica nimis mobilis eft, vt ipfe *Perill. van* SWIETEN demonftrat, quam vt tuto vera inflammatio affumi poffit.

§. XVIII.

Et febris quoque rheumaticae duplex videtur caufa ftatui poffe. Nam altera eft ipfa materia rheumatica, in oceano humorum oberrans, viresque cordis et arteriarum follicitans; altera vero aut febris exquifitae, aut motuum febrilium caufa ad dolores vel etiam inflammationem accedentem redit. – Quibus caufis definitis, de caufis remotis differendum effet. Sed cum has vbique expofitas quiuis legere queat, eas miffas facio et ad alia, quae adhuc fuperfunt, me conuerto.

§. XIX.

Symptomata, caufae, loca, quae aggreditur rheumatismus, huius differentias conftituunt. *Rheumatismum acutum* nominant, quem acuta febris comitatur; *chronicum*, qui focia febre caret. His *breuis* adiici poffet, frequenter admodum occurrens, fed a medicis, cum fingularem curationem vix poftulet, fere neglectus. *Calidus rheumatismus* dicitur, qui a calida, frigidus, qui a frigida caufa prouenit. Subinde epidemice graffatur rheumatismus, vocaturque ideo *epidemicus*. Imprimis vero, pro locorum differentia, varia rheumatismus fortitur nomina, quae vero cum fatis nota fint, miffa facio. Exiftimo tamen his rheumatismi fpeciebus *ifchiadem neruofam*, a COTVNNIO fic vocatam, adiici poffe. Nam COTVNNIVS eam a fola irritatione neruorum, qui etiam ad cutim tendunt, repetit. De *intermittente*, *periodico*, *venereo*, *fcorbutico* rheumatismo non opus eft, plura verba facere.

§. XX.

Diagnoſis et prognoſis rheumatismi febrisque rheumaticae ex antecedentibus patent. Quod vero ad curationem attinet: rheumatismus modo inflammationis, modo catarrhalium affectuum inſtar, curari debet. Si quando vero eueniat, vt chronicus rheumatismus euadat aut dolor nimium vrgeat, veſicatoria ſimiliaque remedia loco dolenti applicari poſſunt, quae STOERCKII etiam obſeruatis inclaruerunt. An Cicuta aut Aconitum conducant? alii videant.

§. XXI.

Sed vt demum finem huic ſcriptiunculae imponam, rheumatismi, cui ipſe ſaepius adflictus ſum, mentionem iniiciam. Cum 1759. annum aetatis meae octauum agerem, poſt laſſitudinem, per aliquot dies obſeruatam, febris me rheumatica valida dolorque rheumaticus, ſupra ſe dextrum genu exſerens, tentabat. Sed dolor, elapſis aliquot diebus, ſiniſtrum, dextro relicto, occupabat genu, indeque pes ſiniſter incuruabatur. Nonnullis auxiliis applicatis, quae me fugiunt, poſt nouem demum hebdomades grallis incedere poteram, ſenſimque modo liberiorem greſſum recuperabam. Sanitate ſic pauliſper reſtituta, poſt aliquot ſeptimanas vlcuſculum quoddam, quod neglexerunt, ſupra poplitem oriebatur, quodque ſponte quidem bis coibat, bis vero iterum redibat. Pro fiſtula demum habitum, a Chirurgo eodem ſucceſſu ſanabatur. Denique, priſtino loco relicto, aliam pedis plagam petebat, eandem ibi ſcenam ludens. 1763. et duobus, hunc ſequentibus annis, aquis pyrmontanis vſus ſum. Vlcus inde ab eo tempore rarius recruduit. 1767. cum reditum eius

me-

metuerem, Chirurgi cuiuſdam opem implorabam. Neque ex eo tempore vlcus rediit. Nunc vero ſubinde ingentes dolores percipiens, ſuaſu quorundam veſicatoria applicaui loco dolenti, ſaluberrimo cum effectu. Rarius nunc dolores rheumaticos experior, qui grauiores ſint; nam leuiores facile propello lenientibus externe applicatis. Cauſas mali ignoro. Vitia diaetae et tempus praecipue aeſtiuum dolorum accelerant recurſum. Sudor, vrina turbida, interdumque diarrhoea quemlibet paroxysmum ſoluunt.



Freund, der Du mit dem Lorbeerkranze
Aus unſern Fluren eilſt,
Und unſre Luſt beim Tanze,
Bei Scherz und Muſen nicht mehr theilſt:

O jene ſüſſen Augenblikke,
Die ich an Deiner Hand
Zu meines Lebens Glükke
So lehrreich, ſo Exempel fand —

Sie fliehn, wie in dem Meer der Zeiten
Ein Tropfen ſich verliert,
Hinab, wo alle gleiten,
Die Titan uns herüberführt.

Ja! unſre Walfartstage ſchwinden,
Sind und ſind ſchon nicht mehr!
Bald, bald wird uns der lezte finden,
Mit ſchwarzem Fittig um uns her!

Er überrasch uns! späte, frühe,
Schon morgen, oder nicht!
Was schrekt uns? Unsre Mühe
War, Hartog, war ja unsre Pflicht.

Du eilest nun — und ich beweine
Mit Thränen den Verlust!
Dein Herz so treu, so reine!
So voll Empfindung Deine Brust!

Du wirst vor meinen Augen schweben!
Freund, ewig wird Dein Bild
In meiner Seele leben:
Ein sichrer Führer, sichrer Schild.

K. F. UDEN,
aus Stendal, Opponent.

An
meinen ewig geliebten Freund
den
Herrn Doktor Hartog.

Minden, im November 1774.

Wem ist der Huth, der Lorbeer, der Kranz?
Wen hüllt Apoll in festlichen Glanz?
Wem lächelst du heitrer vom Himmel, o Sonne?
Wem schmükt sich Saline mit Freude, mit Wonne?

Bist Du es, o Freund? oder täuscht mich mein Blik?
Eilst Du zu unsrer Weser zurük?
Du bist es! o sei mir dreimal gegrüsset?
Wohl mir, der Deiner nun immer geniesset!

Wohl dir, o Säugling, du harretest sein!
Er eilt, o Mutter, dein Herz zu erfreun!
Empfangt ihn, ihr Gatten! begrüßt ihn, ihr Waisen!
Ihn wird eure Brust voll Dankbegier preisen.

Und ich — ich sehe den liebenden Freund,
Der nun sein Schiksal mit meinem vereint.
Ich seh' ihn, im Tempel der Ehre, umgeben
Mit Musen und Freundschaft und Grazien, schweben.

Allda soll unter den frölichen Reihn
Uns jede Stunde ein Feiertag sein.
Sanft werden unsre Tage verfliessen,
Und Freuden jeder Umarmung entspriessen.

H. F. Borries
d. R. K.

AMICO SVO OPTIMO

S. P. D.

C. R. HARTOG,

MINDA-GVESTPHALVS, TH. C.

Ecce tandem festiuum illum studia TVA *coronantem diem, quem dudum votis vocasti! Imminentes iam* TIBI *cernis honores illos, quos strenuae diligentiae et solidae doctrinae propositos hodiernus dies* TIBI *imponet. Ex quibus cum pro ea quae nobiscum intercedit necessitudine maxima laetitia afficior, qui possem non* TIBI *felices istos studiorum progressus ex animo gratulari? Testis enim, ex quo tempore Musas nostras adiisti, indefessi studii, eximiae diligentiae* TVAE, *et lucubrationum fere nimiarum, doctrina* TVA *aeque delectatus fui ac animi et morum suauitate. Qua enim cum ceteros facile antecedas, adeo me* TIBI *deuinxisti, vt et amicorum in numero* TE *principem haberem, et illud tempus, quo colloquio* TVO *vterer, iucundissimum putarem. Quod igitur dulcissimae inter nos amicitiae vinculum ab inuida iam Fortuna disrumpatur, et familiaritate* TVA *non amplius mihi frui liceat dicere, vix possum quantum doleam! Sed cedendum fatis, quae* TE *descedentem ab hac Musarum sede, patrios lares salutare iubent. Quare condecoratus istis doctrinae praemiis proficiscere in patriam, quae in salutem aegrotantium* TE *exspectat, quaeque mox, vt spero,* TE *mihi reddet! Interea res* TVAS *age feliciter, absentemque amare ne desinas! Dabam Halae die XII. Nov.* cIↄ Iↄ CCLXXIV.